

197
17

Q.K. 238, 14.

Za
4720

LUDOVICI IOACH. F. IOACH. N.
CAMERARI, IC. CONSILIARI
ARCHIPALATINI

X 204 7863

contra libris.
Cancell. Hiss.
9 H 5 vol.
15. disc. 4. H
vol. 16. disc. 2.

APOLOGIA.

*Contra Personati cuiusdam FABI HER-
CYNIANI IC. Et aliorum in se pu-
blice sparsas calumnias.*



UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK
HALLE
(SAALE)

BIBLIOTHECA
PONICKAVIANA

Anno clō Io c xxiv.

Q.K. 238.




IN FABII HERCYNIANI
LITVRAM.

Hic liber ut primum Parnassi venit ad oras,
Impia cui nomen penna, Litura, dedit;
Continuo, qui scripta solet pernoscere Censor,
Præsidio docti clarus Apollo Chori,
Ipse toro residens Regum, sic orsus ab alto,
Intuitus chartas, Zoile false, tuas;
Est nimium hæc mendax tam spurca calumnia, dixit,
Arbore nodosa durior Hercynia.
Sic ait, atque virum simul hanc ostendere iussit,
Cuius ceu ferro fama petita fuit.
Quippe bonus tandem quis sit victurus in orbe,
Scurris in justos talia si liceant?

I. C.

LUDOVICI CAMERARI IC.

A P O L O G I A .

bservatum est scriptoribus, certa sæcula certis cladibus nobilitata fuisse. Verum in hoc nostrum, tristissimum sane, utpote ultimi temporis, cunctæ calamitates, quibus affligi genus humanum potest, conjurasse videntur. Bella, fames, morbi, exilia, cædes, rapinæ, vastationes, confusiones, incendia, civiles discordiæ, & inimicitia immortalis, uno verbo, κακῶν θάλασσα. Sed cuncta adversa Calumniæ pestis superat, quæ nunc maxime effræni licentia promiscue famosis libellis in summos, medioximos, infimos pariter rabiosa maledicentia exundat & grassatur. Nam cætera mala dies mitigat aut tollit: & meliorem fortunam alma pax restituet, quam redivivam omnes boni exoptant, tot miserrime afflicti populi spirant sperantque. Utinam verò

per nostrum liceat scelus

Iracunda Iovem ponere fulmina!

Affulgebit serenior lux placato Deo, modo ex omni parte pœnitudo tandem aliqua pectora humana tangat, nec semper adversarij omnem à se culpam in alios derivent ac conjiciant. Quod sane cum plærunque in innocentes redundet, cum summo piaculo conjunctum est. Una nempe calumnia, scriptis publicis inserta, & vulgi auriculis instillata, tamdiu manet, quamdiu hæc transcurrunt inter manus hominum. Et licet vulnus coëat, cicatrix tamen perennat: ut olim magni Regis magnus adulator acutè dixit.

a 2

Illa



In Litura
Cancellaria Hispanica.

Illa quidem in me quoque tela sua contorsit, & nuper imprimis Saturnius quidam oculus refractis omnibus pudoris & reverentiæ claustris infami calamo honorem famamque meam plebeia prorsus scurrilitate infectari aggressus est, qui se *Fabium Hercynianum* appellat. Illum librum, postquam in publicum sub larva fictitij illius nominis exijt, fero vidi: & postquam vidi, rem totam, ut falsum probrum, vel potius ut latratum rabiosi canis contempsi. Nam me, Deo sit laus & gratia,

— Nec

Falsus honor juvat, aut mendax infamia terret.

Majori enim animo honestatis & fidei fructus in bona conscientia, quæ omne theatrum superans sibi ipsa amplissimum theatrum est, quam in fama reponitur, neque virtus ex populi sermone mercedem captat. Multi etiam boni & præstantes viri existimationis potius, quam conscientia jacturam facere maluerunt. Et illa quidem plerunque infelices sequitur: ultima adversæ fortunæ sarcina est, quod dum miseris aliquod crimen affingitur, qui perferunt, meruisse creduntur: ut summus vir scripsit, dictante propria ex adversis experientia. Sed quid tum? Si in via canis me luto forte aspergat, non regeram, sed potius me purgem: aut si asinus me calce petat, non recalcitrem: Sic pro canibus & asinis habent viri prudentes illos, qui ex livore & libidine lædere conantur bonos, & de Rep. benè meritos, sed revera non lædunt. Hac motu ratione illa malitiæ stabula & audaciæ columina despicerem, meque in silentio & spe sub tuto innocentia & Christianæ patientiæ scuto continere decreveram. Phocionem narrant maledicenti sibi in publico cuidam, non modo nihil respondisse, sed se secuto etiam cum vociferatione contumeliosa ad fores domus suæ, cum nox appeteret, adjunxisse

xisse servulum cum lucerna, qui illum in hospitium reduceret. Hoc profecto Phocioni gloriosius fuit, quam si constitisset, & cum homine iracundo & rixoso fecisset paria. Fortius verò M. Cato, Romanus ille Socrates, qui etiam in os percussus à quodam, cum idem facinus deprecaretur & satisfactionem offerret, Non hercules, respondit, animadvertam. Calumniam verò etiam in me insurgere ausam, virtutis meæ, uti spero, indicium putabunt boni omnes. Non enim nisi alta rectaque petit, quamvis qui illam sectantur viles semper sint animæ. Nonne Socratem justissimum mortalium impietatis & insidiarum postulatam apud Athenienses calumnia extinxit? Rutilium optimum civem Roma expulit? Nonne Themistocles & Miltiades tot partis victorijs proditionis notati fuerunt? Prætereo innumera exempla. Constaret igitur mihi, etsi silentio devorarem illatas injurias, mea pietas & integritas. Quod si hujus vincula abrumperere conor, ex eo quoque mea conditio iniquior redditur, quod cum larvis mihi luctandum sit, si cum tenebrionibus istis congregari velim. Nam personam Fabij induit maledicus Sophista, quisquis ille est, qui nunc tam atrociter publicè in me grassatur. Sic plærumque sub falso nomine malignæ naturæ longè melioribus singulari nequitia & improbitate insultant. Debebant omni jure & ratione nomina sua non dissimulare, sed eloqui, cum alios viros bonos ad vulgus contumeliosis scriptis nominatim traducunt. Nunc autem cum quo me componam? Si parem mihi dignitate, genere & auctoritate fingam, forte pædagogum feriam, aut pulverulentum aliquem librorum custodem. Multos jam annos, qui nunc adeo in senectutem quoque vergunt, in officio & fide Domus Palatinæ & Principis mei consumpsi: de literis amœnioribus inter negotia Reip. parum fui sollicitus:

modo in functione publica probarem industriam meam illis, qui hanc a me exigebant. Facile igitur verborum affectata congerie & eruditionis fucō vincant simplicitatem & candorem meum, quibus plus otij quam mihi, fortunæ favor indulfit. Per me licet, ut umbratiles illi ac delicatuli sibi blandiantur etiam in illa lascivia & opinione elegantix. Cumque insanabili convitiandi cacoëthe teneantur,

thus

*In libri
principio.*

Et piper, & quidquid chartis amicitur ineptis,
inquinatissimæ calumniæ tunicæ adsuant. Eloquentia & ingenij gloria inter meos ferocem me fuisse Hercynianus garrit: Et tamen paulo post nihil eorum mihi defuisse subjungit, quibus Politix Magistri Consiliarium instruant, fidelitatis simul & secreti laudem mihi tribuens. Ironice quidem, ut omnia; sed fidelem me & secretum revera fuisse spero, & testabuntur, cum quibus in tractandis gravioribus negotijs versatus fui. De ferociæ igitur labe non ad meos tantum, quos ille innuit, sed ad ipsos Romanenses omnes, cum quibus unquam aliquid mihi rei fuit, maxime in conventibus publicis, ultro hic provoco. Scio, falsi adversarium arguent: temperantiæ & modestiæ in omni sermone melitasse dicent. In illo certe studio etiam nunc persevero, atque ejus instinctu in decreto silendi perstitissem, nisi aurem vellicassent amici, & serio ursissent, tam conspicua in me mendacia, tam palpabiles calumnias saltem levi manu detergerem. Interesse publicè, interesse privatim, interesse posteritatis, & familiæ meæ, ne protervi & jactabundi adversarij silentium meum in consensum traherent, & pro confessis haberent, quæ refutata non essent. Nihil in rebus humanis esse debere fama carius preciosiusve. Hujus damna majora, quam quæ æstimari queant. Hanc bonis ante cuncta bona & vitam adeo ipsam.
Non

Non debere me in me, in viscera, nepotesque meos crudeliter esse: ne & ipsi aliquando judicent, ea tantum provisum fuisse, quæ felicitas commendavit: neglecta aut male acta, quæ honesta & recta per se eventus destituit. Arripui igitur calamum, non acerbum, ut adversarij; sed moderatum, quantum argumenti indignitas permisit. Eoque non nisi me ipsum sobrie & breviter defendam, & quæ personam meam tangunt, paucis removebo aut discutiam. Rem ipsam & litem, quam ex Cancellaria Hispanica (ita vocant) Fabius Hercynianus contexit, meam non facio. Relinquam illam alijs, quos per meum nomen & latus vesana temeritate Fabius transfigere voluit. Satis est, frustra hunc me sibi hostem finxisse. Experietur tandem majorum gentium Deos sibi iratos, quos tam levibus, frivolis ac manifesto falsis maledictis simul incessere non erubuit. Quæ porro sub odioso Calvinianorum nomine crimina tot gentibus & Ecclesijs impinguntur, illa jamdudum Confessiones fidei ipsorum & Apologiæ publice editæ satis superque rejecerunt: ut calumniantibus pudorem saltem aliquem incutere debuissent. Quin potius toto animo exopto, ut illa inter tantos Principes, ex quibusdam chartis in lucem protractis, à quibuscunque etiam excitata, pravorumque hominum igne fota auctaque dissidia, benigna dulcique pace, æternaque amnestia sopita, in perpetuum sepulta & abolita maneat. De me igitur tantum agam, quatenus honor meus arroditur; quatenus causa ipsa aliqua ratione me tangit, & convenientem à me defensionem exigat, quæ jure naturæ mihi concessa apud æquos animos æquam cognitionem, uti spero, fasque est, impetrabit ac inveniet. Ipse quidem ille Fabius Hercynianus, quisquis hominum, aut ubi ubi est, virulentissimum in me stilum in acerbissima Litura sua rabiose strinxit, & singulis

pag. 7. & 8. gulis paginis Camerarij nomen usque ad extremam invidiam insperfit, cum tamen ei non constet, immo ipsusmet dubitet, an Camerarius vel alius Considerationum ad Cancellariam Hispanicam adjectarum auctor fuerit. Nul- lum aut exiguum saltem illum errorem suum esse putat, qui certè est capitalis & intolerabilis. Quæ enim audacia, quis furor est, ut Ajax olim, cum se Atridas & Vlysssem ferire crederet, in mutas pecudes irruit, ita insanum hunc scriptorem statim ex levi conjectura, aut temeraria suspi- cione, in me Andabatarum more impetum facere? Sed profecto ut olim Aiaci ex furore, ita etiam nunc Fabio ex livore mens ægrotat, qui tandem Aiakis supplicio expia- bitur. Venit ille libellus in lucem editus diversis in locis, cum ego in Dania abfui. Summam igitur mihi injuriam facit Fabius, & mendacium mendacijs cumulat, cum me Cæsareas aliorumque Principum literas per fraudem ex- cepisse, referasse, legisse, alijsque legendas in publicum emisisse, ipse per fraudem tam audacter asserit. Non ex- cepi, non referavi, (nunquam enim obsignatas conspexi) non sparsi. In bello, in castris, in quibus ego nunquam fui, in locis remotissimis ad Boream absens, illæ literæ in Germania superiori ad Rhenum per milites interceptæ, autographa quibusdam Principibus alijsque viris digni- tate conspicuis edita, demonstrata, recognita, & tum exemplaria varia per manus hominum ubique fere lo- corum transmissa fuerunt. Illas certe non nisi sero admo- dum ab alijs ego accepi, & postquam jam alibi per taber- nas etiam & fora volitassent. Non negant, non dissimu- lant, qui primi exceperunt, & cum alijs communicarunt. Res nota est fere vulgo ac publice. Recte an secus factum, cum tamen Fabius nihil nisi jus Martis ubique inculcet, ego jam non disputo. Satis est constare, illud factum mihi
soli

soli adversarium per manifestam calumniam imputasse,
 cujus tamen nunquam particeps, immo ne conscius qui-
 dem fui. Et fidem tamen atque assensum, ne dicam ap-
 plausum, apud ullum inveniat, qui æquitatem colit? Nunc
 vero ille, cum mecum, tanquam cum authore semel rem Pag. 9.
 sibi esse decrevit, statim turbidis effectibus abreptus, ira,
 invidia, convitijs, maledictis in me furiosi more debac-
 chatur, & hostem me sibi facit, qui cum fortassis nunquam
 vidi; certe non novi aut læsi unquam sub larva luctantem
 hominem. Hoc ipso se prodit, & malam causam, quam sus-
 cepit; cum me potissimum, insontem & absentem infami
 calamo publico odio objicit. Qui eo impudentius men-
 titur, quod sciat ad probanda falso objecta crimina cogi se
 non posse, & incognito accusatore mihi defensionē diffici-
 liorem fore. Prodeat si vir bonus est, nomen suum verum
 edat, locum tutum sine fraude præstet, iudices æquos non
 infensos det, epistolas meas integras, sine dolo, documenta-
 que producat authentica, si rite, si legitime mecum agere,
 si me accusare vult: sed sub inscriptione talionis, & legis
 Remmiæ iudicio. Fortassis non omnia, quæ mihi adscri-
 bunt, agnoscam, falsi aut corruptelæ arguam, aut certe de-
 pravatam per calumniam mentem meam ostendam. Tan-
 tum autem veritati obstreperit adulter sensus, quantum &
 corruptor stilus: ut recte Tertullianus inquit. Quæ scripsi,
 privatim scripsi, ad Collegas, ad eiusdem Consilij Assesso-
 res, sub secreti fiducia, ex aliorum plærunque relationi-
 bus, certe discursuum instar, ut inter familiares fieri solet,
 sine dolo, citra inferendi injuriam animum cuiquam mor-
 talium, qui certe quam longissime à me semper abfuit.
 Quod si quædam verbis asperiora videntur, & longius ire,
 ea sane scripta nolim; ipse mea spongia, si possem, delere
 cuperem in æternum, agnita culpa, & venia gratiaque pe-
 b
tita

tita ab ijs lubenti demissoque animo, qui ex illis offensio-
nem quamcunque concipere potuerunt. Sed illi mihi gra-
vius peccare videntur, qui talia publicant, qui suis argutijs
candide dicta depravant, & in aliorum fraudem & inju-
riam detorquent: adeo ut ipsi potius istius criminis reos fe-
faciant, cujus imprudenter impudenterque alios accu-
sant. Qui in munere Reip. versantur, qui negotia gravio-
ra Principum jussu agunt, multa sæpe dicere aut scribere
coguntur, scissis præsertim in contraria studijs, quæ non
æque possunt placere omnibus. Pauci erunt Consiliarij
immunes ab hac labe & periculo, si rupta fide, violato ju-
regentium, aut obortis inter partes inimicitijs cuncta in
publicum invidiose disseminantur, quæ in amicorum si-
num effusa Vulcano consecrata esse debuerant. Sed jam
ad rem potius & infamem personati Fabij Hercyniani Li-
turam propius accedamus, qua, si potuisset, famam & vi-
tam meam delevisset. In tantum revera

—— *Hic nigra succus loliginis, hæc est
Aerugo mera.*

In ipsa inscriptione acerbo sane morsu & strictura nomi-
nis mei me Excancellarium Bohemicum, Exconsiliarium
Heidelbergensem vocat. Nunquam amavi fumosos titu-
los, nunquam ad dignitates, ad opes adspiravi. Hoc sciunt
omnes, qui ingenium & mores meos norunt, qui mecum
in Reip. negotijs versati sunt. Hoc res ipsa loquitur, & con-
firmant mediocres facultates meæ, acquisitæ à parentibus,
& conservatæ potius parsimonia & industria mea, quam
auctæ liberalitate aliena: Et hæ tamen ipsæ majori ex par-
te ob fidem Hero meo præstitam mihi ademptæ, imo uxo-
ri etiam meæ sua bona erepta fuerunt. Quo jure, illi vide-
rint, qui dum ipsi miserorum sanguine saginantur, alijs cu-
piditatem alieni exprobrare, sed falso, solent. Sed heus tu?
Nun.

Nunquam Cancellarius Bohemicus fui; ut ne nunc quidem Excancellarius Bohemicus dici queam. Privatio enim præsupponit habitum: ut in Scholis loquuntur. Nunquam me Bohemorum rebus miscui: neque hoc mihi per leges ipsorum impune fuisset. Et tamen simili me injuria Monacensis quoque scriptor sub Anhaltinæ Cancellariæ titulo adspargere ausus fuit; cum me & alios viros bonos recenset, qui præcipuas quasque in Bohemica factione functiones obierimus; ad quas tamen, etsi voluissimus, Bohemos non admisissent. Habuerunt illi Directores, habuerunt Officiales suos ex gente Bohemica: non adhibuerunt ad officia publica extraneos. Vere & coram Deo affirmare possum, & nemo mortalium citra perjurij piaculum aliud dicet; nullum munus aut donum, imo ne unum quidem assem me unquam à Bohemis aut Moravis consecutum fuisse, quamdiu vixi. Nec erubuit tamen quidam insignis Sycophanta, torques aureos, anulos, scyphos argenteos, & numos acceptos publico scripto mihi objicere: Sicut hic personatus Fabius auri fascinum: & alibi Monacensis Agyrta spectabilem Domum in urbe Pragensi, mihi objectant. Habitatio tantum illius domus mihi concessa, nulla verò proprietas aut dominij translatio unquam adscripta fuit. Non inficior, à Silesiæ Principibus & Ordinibus Vice-Cancellarij munus ultro etiam honorifice mihi oblatum, eiusque administrationem ad tempus, arbitrio Principis mei revocandam, me suscepisse. Spero vero, imo confido, in illo me munere, quod res duntaxat Silesiorum spectabat, probasse fidem ac diligentiam meam. Illo ipso etiam tempore, ut plurimum in varijs Legationibus, & in Palatinatu peregre abfui. Heidelbergensis vero Exconsiliarius quomodo appellor, qui non illi civitati, sed Electoribus Palatinis à consilijs fui? Hoc onere nemo me privare

In præfatione.

In Canc. secr. Anhalt. pag. 76. parte 1.



potest, nisi qui illud mihi imposuit. Ego vero salva fide ac conscientia illud abjicere, & Principem adversa fortuna pressum deserere, non debui, ne coorta tempestate turpiter exilire viderer ex navi, in quam sereno cœlo adscenderam. Nolo inter illos censeri, quibus

—— *Cum fortuna statque caditque fides.*

Non dubito ipsos hostes, quicumq; ex illis virtutem amant, laudare hanc constantiam meam; quos scio etiam male loqui de illis, qui prout ventus se dedit, ita vela sua accommodarunt. Hedera Pyramidi nixa pingitur, hac stante viret, cadente cadit: sed iterum erecta erigetur & ipsa. Sublevabit hanc tandem benignum Numen & magnus Cæsar, & simul cum illa tot prostratos populos recreabit, ipsique adeo orbi pacem securam reddet, cujus Clementia etiam illos recepit, qui ferrum contra se in acie & conflictibus strinxerant. Hoc verò quam indignum & parum bonæ mentis, quod per prosopopœian me tanquam ad Lectorem differentem, & mihi ipsi convicia dicentem ridicula mimesi introducit? Quod Principem meum ipsum, tristiori etiam vultu habituque in scena illa mihi adjungit? Sed frigidissimis sarcasmis, putidissimisque irrisionibus cordati viri non moventur. Abominantur homines istos, qui instabiles vices rerum humanarum, quæ à magno illo Motorevolvuntur, ignorantes, fortunæ suæ modum nullum aut terminum statuunt: nec perpendunt, solidum victoriæ fructum non insolentia & futuri contemptu, sed in reconciliatione animorum, & secura durabilique pace consistere. Gravissimus scriptor C. Plinius Secund. M. Regulum quendam crudelitatis accersit, qui non dissimulaverit, Metio Modesto exuli nocere se voluisse. Noster vero Fabius, certè ut in alijs multis, ita in hac re potissimum.

quavis

lib. 5. ep. 5.

quavis nodosa ilice in silva Hercynia durior, & in Domi-
num meum, cum

Arma Iovis fugiens, & regnis exul ademptis,
in tutiora loca concessit, & in me hoc etiam nomine, quod
Herum in exilium comitatus sum, sævissime irruit. Utrum-
que vero non lædit tantum, quod acerbissime facit, sed si
posset, uno etiam ictu ex luce hominum tolleret. Hujus
ferinæ prorsus truculentia plenissimus est totus Fabij de-
testabilis liber, sed præter alios unus insignis locus est, san-
guine scriptus, quem, ut nemo bonus ambigit, cum ipse
Cæsar pro magnitudine & clementia sua abominabitur,
tum Opt. Max. Magnæ Britannia Rex ad animum acri-
ter revocavit, non obliturus vindictæ, ubi ubi erit occasio.
Neque credibile est, Serenissimum Bavariæ Ducem, cujus
ministrum esse personatū scriptorem quidam dicunt, dele-
ctari tam funesto proscenio, in quo Gentilis de ipso, ut spe-
rat, profecto optime mereri studens, velut in pegmate quo-
dam securi carnificis subjicitur. Porrò qui nihil nisi vincula
& supplicia identidem intonat, an ullo in exules benignita-
tis sensu affici possit? an illum ulla fragilitatis humanæ mi-
seratio subeat? Exilij pedissequa plerunque est calumnia.
Huius verò infame instrumentum & exitialis tuba, crude-
lis Fabius. Me quidem & conscientia integritas consola-
tur, & magna illa nomina erigunt, Themistoclis, Alcibia-
dis, Scipionis Africani, Ciceronis, & aliorum; qui partim
cum laude redierunt in patriam, partim in exilio obierunt,
ne ingrata patria ipsorum cineres haberet. Multos nobili-
tavit exilium, multis solatio fuit, & securus ad tranquilli-
tatem portus. Terram mehercule magis exosculantur, qui
vi tempestatis in illam projecti ex naufragio salvi evase-
runt, quam qui secundo vento securo liberoque cursu ad
littus proVecti sunt. Læti in exilio vixerunt Rutilius &

Pag. 148.



Metellus, summi viri: ille hoc etiam perpetuare, quam redire in gratiam maluit; hic eodem vultu, quo gratia excesserat, in illam reversus est. Sub Albano qui ex Belgio ultro solum verterunt, se beatos arbitrati sunt: exilium & paupertatem suam longè infra illorum calamitatem censuerunt, qui in patria hærentes lento igni ambusti ac consumpti fuerunt. Qua verò conditione quòve animo nunc sint miseri in Palatinatu subditi, non dicam: Gratias Deo misericordi ago, qui spectatorem me præsentem esse aliorum infortunij noluerit; Sed in tuto honestoque exilio hæctenus benigne servavit. Frustra igitur salutem me non habere Fabius scripsit. Habeo propitio Deo, & longe meliorem in lata hac mea fuga, ut elegantissimus scriptor loquitur, quam plerique qui domi manserunt. Acerbam fortunam meam cum Crocodili lacrymis deplorat, simul in sua felicitate stulte exultat. Haud scio, an permutationem hic ullam mihi persuaserit. C. Pompeius Felicem se putabat: Erat hoc nomen L. Syllæ. Rem ipsam in neutro probavit exitus. Noli sereno cælo fidere, momento mare vertitur. Mihi quod fortuna non dedit, eripere non potuit. Cur igitur acerbam vocem, quam optarem multis millibus, qui nunc sub iugo alieno gemunt, æque esse propitiam? Quod si ad sacras literas imus, tot in illis divinæ providentiæ & liberationis tamque illustria exempla nobis occurrunt, ut majorem bonæ spei fiduciam nulla prope modum ex re magis, quam ex Fabij Hercyniani, similibusque ei calumniatorum protervia concipere debeamus. Amisimus bona: fateor. Sed quis unquam enavit cum sarcinis? Hæ nobis ereptæ multis adhuc onerentur, & injustos possessores submergent. Nec ita tamen in aliena terra hospites sumus: ut stipem postulare ab ijs cogamur, qui benigne nos susceperunt. Nullum tam inops
exilium

Sen. Ep. 22.

exilium est, quod non alendo homini abunde fertile sit. Necessarijs rebus & exilia sufficiunt: supervacuis nec regna. Animo magno nunquam deest miseratio, nunquam auxilium, etiam à potentioribus. *ἰσομνηματα* tua fac tuis infusures, quos blanda fortuna extulit, ut reverenter illam habeant, nec irritent. Plurimum habet in humana dominij. Ad mansuetudinem, clementiam, moderationem si maguates duceres, sapientiæ laudem ferres.

*Id. Sen. in
consol. ad
Helviam.*

— *Peragit tranquilla potestas.*

Quod violenta nequit.

Claud.

Porro quod superbiam, ambitionem, fraudes, versutiam, mihi imputas, & hos fructus religioni meæ, quam profiteor, adscribis, non iniquo fero animo. Sed Christo Domino meo gratias ago, quod dignus sim, qui ejus nomine contumeliam patiar. Hoc mihi commune cum veris Christianis, quos maledictis proscindi & persecutionem in hoc mundo perferre necesse est, si velint esse hæredes sempiternæ gloriæ. Tuam vero religionem Fabi amem, quæ te ipso flammifero præcone nihil nisi rogos, cruces & secures spirat, quæ dolo me capere cupit, ut victus eam in Romanensem Ecclesiam? hoc est, Romam, aut in ea loca, in quæ sæpius me invitas, sed ipse periculosa mihi fore dicis. Nempe ut fiam infamis flammæ cinis, (sic de Iohanne Husso fideli Christi martyre loqueris) aut longa morte moriar? Cum Principi meo aperte denunciés, si incautus forte deprehendatur, capitis supplicium; quid mihi mansuetudinis de truci Fabio ejusque symmistis expectandum esset? Non placet mihi religio, quæ sanguinem piorum fundit, sed pro qua sanguis funditur, in cujus effusione fundata est vera Christi Ecclesia. Non novi aliam religionem, quam Christum crucifixum. Hic sua morte mihi acquisivit vitam. In hac spe vivo, in hac moriar.

Pag. 236.

*Pag. 200.
236. 254.
alibi.*

Pag. 44.

Pag. 237.

Pag. 148.

Hanc



*Canc. secr.
Anhalt. p.
39. in fine
Ep. 40. in
pr.*

*Pag. 36. &
195.*

Hanc religionem cum Fabius ejusque socij adeo scurriliter irrideant, mirum non est, si in rebus etiam agendis sollicitudinem meam, ac denique pia ad Deum vota, ut recta & salutaria consilia suppeditaret, pervertant; ac si Deum serio precatus fuissim, ut recta & prava consilia inspiraret Principibus. Jurisconsulti nostri in omni sermone benigniorem interpretationem amplectendam esse monent: hi homines duriores semper & contrarium sensum etiam ex optime dictis eliciunt; ut aranæ ex omni succo venenum sugunt, sic illi ex cunctis dictis factisque calumniandi occasionem arripiunt. Vitia autem illa, quæ toties larvatus Fabius inculcat, nec religionis meæ fructus, & à me alienissima sunt: à quibus si ducerem, ejurarem hanc religionem, crucis & contemptus materiam; tuam amplecterer, quæ gratiam, honores, dignitates, divitias mihi offert: & ad quam nunquam transierunt, quos hic illex non attraxerit. Cætera convitia, maledicta, scommata, sparsim in me, toto famoso Fabij libro congesta, ut execrabile spurcissimi oris profluvium magno animo contemno, infra dignitatem meam ducens, cum scurra reciprocare hanc ferram. Hoc tamen concoquere non potui, nec debui, ex pietate in majorum umbras, quod V. Cl. avum meum, Ioachimum Camerarium, piæ memoriæ, quem magnum præcipui quique ex literatis appellare solent, prædicantem, & me prædicantis nepotem facit Fabius. Si illo verbo ministrum Orthodoxæ Ecclesiæ fuisse avum meum innuere voluit, sane laudi potius, quam probro mihi ducerem. Georgius Anhaltinus, alij Principes virique illustres, & superiori & nostro sæculo cum immortalis nominis sui gloria illo præclaro munere defuncti sunt, ex Fabij elegantia Prædicantes fuerunt. Verum avus meus nunquam talis Ecclesiæ minister fuit, nunquam Germanicas conciones ad populum

lum, eruditas vero multas in Principum laudes latine aut de alijs rebus gravioribus habuit; quarum plurimæ in lucem olim venerunt, multæ cum alijs ejusdem operibus ut brevi edantur, daturus sum, juvante Deo, operam. Quis vir ille fuerit, ejus vitæ historia ab alijs contexta & edita publice, tot simul illustrium virorum intemerata testimonia loquuntur. Tantum tres quatuorve tibi nominabo ex infinitis, ex diversis Nationibus. Nolo enim mihi indulgere in recensendis, quod facile possem, pluribus: Nec illorum encomia adducam, quos hæreseos forte suspicione posses rejicere. Hadrianus Turnebus Gallus, illum ornamentum Germaniæ & Europæ decus, utriusque linguæ sua ætate Antistitem vocat: Iusto Lipsio Belgæ gratum Camerariorum nomen ob unum illum virum, quem Germania nostra habuerit sine pari: Petrus Victorius, Nobilis Florentinus, toto affectu in ejus laudes ita abreptus est, ut eas non nisi Homerica grandiloquentia se exprimere posse fassus fuerit.

In adver-
sar. lib. 8. c.
II. & lib.
16. c. II.
I. Cent. Ep.
75.
In Epist.
suis ad Ger-
manos.

merito cui doctior orbis

Submissis defert fascibus imperium.

Illustris vir, Iacobus August. Thuanus, Historicorum nostro sæculo coryphæus, præter insignes eius virtutes & animi corporisque dotes, etiam generis nobilitatem prædicat. Et certe familia nostra Papebergæ in Franconia, & in sidere illo Germaniæ, Norica urbe, ultra C C C C. annos, inter primarias patritiasque floruit, ut illius me pudere minime possit aut debeat. Avus vero meus in re satis lauta, & cum à multis Principibus (Nam & frater eius Hieronymus Episcopi Papebergensis, & postea Philippi Palatini, qui Viennam contra Turcas fortiter defendit, Cancellarius fuit) expeteretur ejus opera, literatum semper otium functionibus in Republica gravioribus prætulit.

lib. Hist. 59.

c

Vfi



Vñ tamen ejus consilijs fuerunt sæpius ipsi sacratissimi Imperatores, Ferdinandus I. & Maximilianus II. qui etiam Camerarium ex Saxonia Viennam ad se evocavit, & honorifice liberaliterque habitum à se dimisit. Dedit illi laudatissimus Imperator simul singulare privilegium in amplissima forma, Viennæ, die 2. Octobr. Anno 1568. quo ipsum, familiam ejus, posteros, clientes, subditos exemit ab omni extraneo, maxime Rotwilensi judicio; & immediate sub Romanorum Imperatorum tutelam & jurisdictionem cunctos recepit, etiam in bonis feudalibus. Haut scio, an frequens sit in Germania, ut Prædicantes, quos ita per contumeliam Hercynianus vocat, multa ejusmodi ab Imperatoribus privilegia, immo feudalia bona exacto & providentia majorum habeant, ut Dei gratia & Principum beneficio gens Camerariorum jam per aliquot sæcula possedit in Franconia. Vñ etiam fuerunt avi mei consilijs non minus sæpe Fridericus Pius Palatinus Elector, Mauritius & Augustus Saxonix Duces, Septemviri, alij multi Germanix Principes. Amicitiam coluit cum summis sua ætate viris, & illa quidem nemo se literatum duxit, qui illi ignotus aut carus non esset. Documenta ejus rei insignia quamplurima hodieque in mea manu sunt, ex communi incendio bona fortuna cum manuscriptis *Ἐ Μακαρίτης* mihi erepta & servata; ut hanc unam ob causam æquiori animo feram jacturam facultatum reliquam. Tanti viri sanctissimos manes impius Hercynianus Hyænx instar turbare non est veritus, cum per contemptum & ludibrium cum Prædicantem, posteros ejus Prædicantis Nepotes facit. Quod si ad Romanensium morem respexit, quo Sacerdotibus ex concubinis liberos tollere licet, eo atrocior est in me Fabij injuria. Nos enim in nostris Ecclesijs illam consuetudinem non habemus. Famam eruditionis phalerata scriptione
Fabius

Fabius affectat: sed ferè affirmare ausim, verè eruditum non esse, qui ignoret quis Camerarius fuerit. Ignoscant mihi boni, quod pietate in maiores & familiam meam abreptus in hoc argumento prolixior fui. Gloriandi enim studio hoc non feci, quod procul à me esse cupio.

Nunc tandem emissis spretisque alijs pluribus, sed levioribus, ijsque profecto ludicris & frivolis, ad graviora venio, quæque mihi necessitas ipsa, ut accuratius refellam, imponit, & cura posteritatis. Neque aliud mihi hic pretium, quam fides famaue. Mendacium utcunque celeres cursus habet, & facile hæret apud rerum ignaros, tandem tamen à veritate, quæ temporis filia est, apprehenditur.

Caput accusationis est, me huius infausti belli autorem, incentorem, belli consilia subministrasse, faces accendisse, circumtulisse, quibus nunc conflagret huius Imperij Orbis. Hinc cunctas clades calamitatesque quas bella secum trahunt, quibusque in hodiernum etiam diem Germania premitur, an opprimitur, armis tamen diu ex nostris manibus, ut ipsi gloriantur, excussis, mihi adscribunt, & acceptas ferunt, consutis dolis, cum personatus Fabius, tum farraginis Monacensis author, alij, sparsis subinde in vulgus infamibus chartis. Quibus quid ego respondeam? Hoc unum, quod apud Romanos pronunciare Iudices solebant solenni formula: Calumniati estis. Segmina quædam literarum mearum producunt: Sed ad illa ipsa ego ipse provoco. Ubi solidum in illis argumentum, quo evincant, me primum aut præcipuum, & quidem deliberato animo Principibus suasisse bellum, me consilijs meis Principes in illa discrimina præcipitasse, & quæ his atrociora addunt cumulantque? Consilia mea in hanc rem, in hunc scopum concepta, se vidisse, legisse, Fa-

*l. i. §. Iudex.
D. ad SC.
Turpilium.*

pag. 44.

bis affirmat; producat illa, si potest, in forma, ut loquuntur, authentica. In toto illo Centone Monacensi nullum tale consilium reperies, quo deductis causis, rationibus & medijs, Principes ad bellum Pontificijs inferendum impulerim. Non jam discussio (quod alij fecerunt, alij forte facient,) Utrinam, Pontificij an Protestantes, de gerendo bello prius deliberaverint; illi an hi priores in bellicis apparatus fuerint; illi hos, an hi illos primo aggressi fuerint; qui arma prius posuerint, qui pacem petierint, qui hac rejecta bellum continuandum esse censuerint. Certè omnem hanc Protestantibus culpam, Hercynianus noster audacter impingit, ea suos liberat, odiosissima *παιολογία*, & perpetua petitione principij, ut in scholis loquuntur; facundia ferox, quia nullum metuit Iudicem. In ipsa igitur causa me non habebit adversarium, quæ majoris dignitatis & nominis Patronos inveniet. Pro me tantum nunc dico, me solum defendo contra falsissimas criminationes & atroces Fabij, aliorumque calumniatorum injurias. Tantum abest bella promoverim, ut pacis semper, natura ad moderationem factus, studiosissimus fuerim. Semper mihi in ore, nec domi tantum dulce pacis nomen, sed foris etiam ac publice, ubicunque fuit occasio,

Pax optima rerum,

*Quas homini novisse datum est, pax una triumphis
Innumeris potior.*

Quin ipso jam flagrante bello, & fortuna abblandiente cœptis, in ipsis adeo Norimbergensibus Comitij, ex quo sævum contra Pontificios in Germania Bellonæ fulmen prodijisse exclamant, me longè alijs à natura moreque consueto rebus negotijsque, quam bellicis intentum fuisse, ipse Monacensis scriptor in sua nefanda rapsodia se inseruisse non animadvertit; omisisset alioquin, truncasset,

set, aut adulterasset locum procul dubio. Nunc autem Principis illius, cui primas semper partes tribuunt, ac rem de me querimoniam refert, his omnino verbis, in versione Latina, quam illi solam pro genuina agnoscunt: Interim vero aureum tempus nulla re minus dilapidandum, quam lamentabilibus scripturis, aliisque id genus vanitatibus: præcipue autem Camerarij in hac materia directionem (Qui dum singulorum prætensiones recognoscere, eisque satisfactionem præbere nititur, & sibi & Unioni officit) aliquatenus refræmandam: Nam errorem cui obnoxius est Camerarius, noxium & intolerandum esse, dum existimat multa se confecturum affectuosis Epistolis, simulque omnium passim querimonijs aures ac cõmodat; quem multo magis deceat, Consilia sua in principalẽ Unionis scopum dirigere. Atqui hunc unice ad bellum Pontificijs inferendum fuisse unitis propositũ, & rem armis non literis tentandam, unicè adversarij pertendunt. Ab hoc si ego abhorruì, & quomodo quæso ipsius illius belli primus motor fui? Ne imponat incautis, quod idem Monacensis scriptor ambitioni meæ & Martiali studio tribuit, ac si ad Cancellariæ nescio cujus bellicæ præfecturam adspiraverim. Ita res habet. Cum in armis jam essent utrique & Protestantes & Pontificij, postulatum à me fuit, ab illis quibus imperandi jus erat, ut Principem, si res ita ferret, in castra sequerer. Non certe eo fine, ut bellica consilia dirigerem, à quibus etiam ferè abfui, & quorum partes alij sustinebant: Sed ut Unionis acta, & simul Palatinam Cancellariam, ut vulgo loquimur, sub fidem & tutelam meam reciperem. Actum tum est de conditionibus, sed minimè transactum, nec unquam illud munus demandatum mihi, nec à me susceptum, nec ulterius motum, omnino evanuit. Sic etiam quæ tractantur tantum,

*Cancell.
Secr. Anhalt. pag.
110. & 111.*

*Canc. Secr.
Anhalt.
pag. 76.*



in crimen tanquam facta & perfecta veniunt, etiamsi per se omni crimine vacent. Nec meus tantum hic honor petitus ex tam levi argumento, sed etiam simul ab infami scriptore, summi humanissimique viri, Hippolyti à Collibus, in Dicafterio Archi-Palatino laudatissimi Præsidis, æterna laus perstricta, quem unicum dulceque amœniorum hominum delictum, nemo, nisi ipsa Invidia unquam livido oculo adspexit.

Pag. 53.

Denique in illis Epistolis, quas Hamburgo me scripsisse innuere videtur, quæque nuper seorsim sunt editæ cum dirissimis subjectionibus, in quibus tantum non Phaëtonem orbis terræ me faciunt, pacem mehercle aperte & gravibus verbis quocunque modo incundam Domino meo suasi. Is tamen tum temporis in Palatinatu aberat, nec levis spes erat, armis illum recuperari, & ab externo milite liberari posse. Et profecto etiam pax, nunquam abnuente Domino meo, coiisset, nisi hanc rejecissent alij. Pacis vero quam cupidus Serenissimus Rex Angliæ semper fuerit, Orbis Christianus novit. Atque hujus se arbitrio Palatinus Elector pacis studio totum permiserat. Vtinam vero totum integrumque archivum Palatinum, quo hostes potiti sunt, quodque etiamnum in manibus habent, bona fide & sine fraude publici juris facerent. Vbique nuda simplexque veritas, ceu Solis radio scripta, ex illis calumniarum nebulis mendaciorumque tenebris dilucesceret, cum sempiterno Sycophantarum istorum opprobrio. Interim non exiguam illis gratiam habemus, quod saltem typorum beneficio aliquod nobis reddiderunt, defensionis nostræ sive præsidium sive subsidium atque adjumentum, & ut vel ita pergant, serio optamus. Quanquam dum subinde particulas tantum & centones promunt, totam causam eo ipso suspectam reddunt: argutias suas & falsas interpretationes
inter-

interferunt, & alia intelligenda proponunt, quam quæ à nobis vel scripta vel cogitata sunt: Ea que ferè tam absurda, ut ne per somnium cuiquam nostrum in mentem venerint. Quin etiam post tam diuturnum intervallum nihil integrum aut solidum contra nos produxerunt unquam, sed tantum emisserunt ea, quæ fortè hinc inde curiose ab istis perquisita ac eruta; multa etiam aliena, mihi collegisq; meis prorsus incognita, tanquam nostra, malitiose sub fictis noxiisque inscriptionibus sparserunt. Cum Fabij Hercyniani famosum in me librum initio percurrerem, inter alias atræ loliginis notas, hanc minime postremam deprehendi, illum exemplum Symmystarum suorum insigni lædendi libidine secutum hoc unum agere, ut Serenissimum Saxonix Electorem in nos exasperet, quantum potest. Finxit igitur, me quoque de tanto Principe scripsisse sequiora, de quibus postea suo loco. Sed cum nescio cujus Protocolli Heidelbergæ in Cancellaria relictæ, quod tanquam Gorgonis caput nobis objiceret, in nefanda sua Litura meminit, ipse quid monstri insanus homo aleret, divinare non potui. Sed revera

Pag. 104.

Et pag. 167.

— *Parturiunt montes, nascetur ridiculus mus.*

Nam mox prodijt grande & infame illud opus, Germanica lingua, cum acerbissimis commentis, ut recte Fabius dicit, sub Consultationum titulo, quas ex Protocollo originali in Heidelbergensi Secretioris consilij Sacrario invento ita digestas autor præ se fert. Ex eo igitur Diabolica prorsus audacia, ea Principi meo, mihi, & cæteris eius Consiliarijs consultata & acta nefarij homines affingunt, quæ nunquam nobis cogitata, nedum ut in ullam unquam consultationem deducta fuerint. Tota illa commentatio qualis qualis est, nunquam ne quidem in hodiernum diem mihi vel oculis usurpata vel auribus hausta, multo minus, quam

diſt. pag.
104.

quam nunc sciam, quid in regno Chinarum geratur aut extrema America. Et tamen decoctores illi omnis pudoris in eam vesaniam delabuntur, ut talia in secretiori Senatu Heidelbergæ me etiam præsentem, conscio, iuvante, proposita, deliberata, conclusa, decreta asseverent. Nec puduit rationem turpitudini obtendere, egregiam quidem pulchramque rationem. In Heidelbergensibus Cancellis secretioris consilij, inquit, ista scriptura reposita jacuit. Necessesse igitur est, consultationis seriæ inter Consiliarios Palatinos habitæ materiam fuisse, in Pontificiorum perniciem. Bone Deus, in re tanti momenti tam scurriliter, tam calumniose bonos viros tantorum criminum reos agere? Hæ scilicet luce meridiana clariores probationes sunt, quibus me funesti belli civiliumque turbarum motorem promotorem convicerunt! Præterea fidi homines ex nostris scripturam illam in illo loco repertam fuisse negant, sed alibi in privatis ædibus. Inquisivi enim, & ita nuper rem se habere percepi. Quis autem talia memoriæ causa, aut alio quocunque, nescio sane quo fine annotaverit, ne ipsi quidem illi haruspices dissimulant, cum privatum & extraneum quendam, qui nunquam, quamdiu vixit, in ullo confesso Heidelbergæ visus est, in medium producant. Studiose non nominant illum ex certis procul dubio causis. Austriacus Baro est, Georgius Erasmus Thernemblus; Heidelbergam ille venit, & scripturas illas suas eo secum attulit, postquam ego jam ex illa urbe in Belgium profecturus excesseram. Notæ sunt nobis Secretariorum nostrorum manus, notus stilus. Illorum protocolla edant, non carptim unum atque alterum, aut segmina ex his aut illis dolo malo excerpta, sed ordine integra. Unius hominis scripturam, domi privatim ad uberiores forte meditationem argumentis in utramque partem collectis consignatam,

tam, non ex aliorum ore exceptam, Protocollum non solemus appellare. Nobis enim Protocolla dicuntur secretariorum libelli, in quos consiliariorum vota breviter conijcere solent, annotatis singulorum nominibus. Illa, quotquot habent, edant illi, si audent. Nunquam enim fraudis suspicionem vitabunt, cum tantum ejusmodi apocrypha & dubias privatorum hominum singularesque annotatiunculas subinde disseminant, malæ mentis, malæ fidei ipsorum argumenta. Omittant denique perverfas & fraudulentas glossas suas; ex integris actis relinquunt saltem Lectori judicium; si nobis defensionis libertatem divino humanoque jure competentem præcidere pergunt. Nam per pravum sensum detorqueri omnia possunt, etiam S. Codicis effata & mysteria. Sed ne justa indignatio longius me abripiat, ad secundum accusationis præcipuæ caput nunc venio.

Aiunt, me primam operam dedisse, ut Princeps meus ^{pag. 47.} major fieret, me illi autorem monendo atque instigando fuisse, ut regni alterius auspicijs consecrati habenas susci- ^{pag. 68.} peret, me malis ac noxijs consilijs ad illicitam alieni regni cupidinem fortuna & genere ferocem Iuvenem illexisse, quotidianis sibilis inflasse turgentem juvenili spiritu, & quæ centies in eam rem repetuntur, uno verbo, me Dominum meum Regem fecisse. Bona verba, Fabi; paulo minor Iove, vel Iovi potius æqualis essem, si hac potestate valerem; si Reges facere possem. Gratus vero fuisset erga Dominum, si fecissem, quod potuissem. Saltem ardentis ejusmodi affectus magnitudo, doli mali maculam elueret. Sed, quæso te, Fabi; ubi & in quo angulo arcanos illos sibilos, quibus in Heri aures suavis Siren penetravi, percepisti? Revera tu inter illos primus es,

d

Qui

*Qui omnia se simulant scire, nec quidquam sciunt.
 Id quod Regina Rex in aurem dixerit,
 Sciunt, quod Iuno fabulata est cum Iove.
 Quæ neque futura, neque sunt facta, tamen sciunt.*

Atqui manum meam vidit, legit consilia mea Fabius. Ubi? Et quæ illa tandem consilia? Semper ad Monacensem faraginem respicit, ut mutuum muli scabunt. An vero ignorat velle Jura, non esse vagandum cum periculo alienæ existimationis, sed facta singulatim exprimenda? Liquidas & evidentes probationes Jura requirunt, non conjecturas inanes & frivolarum præsumptionum ludibria. In tota Anhaltina sic vocata Cancellaria nullam Epistolam meam invenies, in qua diserte, specificè talia expressa. Ne unam quidem dabis, cum ad finem ad Herum meum à me exaratam, missam. Nullum consilium, quod scripto illi dederim, quo *Δεσπότην* suaserim, ut regni Bohemici Diadema aut ambiret, aut oblatum reciperet. Ostende, si potes, si vir bonus es. Ostende, si potes, alia etiam magis clara, certa, & infallibilia ejus rei documenta. Argutis consecutionum mysterijs ad suspicionem movendam astute fabricatis neque veritas violatur, neque innocentium fama læditur. Cum in Comitibus Pragensibus Ordines ad novam electionem Regis Bohemiarum perrexissent, Ambergæ tum in superiori Palatinatu Princeps Elector, Dominus meus, fuit, nec quisquam cum ipso, nisi solum duo illi Principes, quos odioso nomine Triumviros vocarunt. Consiliarij intimi cæteri, & inter hos ego quoque, Francofurti agebant, ut hæc cuncta ordine recenset & observavit ipse Monacensis rapsodiæ architectus. Perquisivit tamen per literas Serenissimus Elector sententias nostras, & has similiter per li-

teras

*In Canc.
 Secr. An-
 halt. p. 85.*

teras conjunctim ei tum perscripsimus. Illas literas, & protocol-
lum Secretarij, ex quo transumptæ, in medium pro-
ferant; ilico in media luce apparebit ex hac parte veritas,
ex adversariorum, Calumnia & huius genitrix menda-
cium. Iterum dico, nisi restituto nobis integro archivo, &
facta ad necessariam defensionem actorum copia, nos nul-
lo jure judicari posse. Nam ex serie consiliorum actionumque
demonstranda est rei veritas. Simul atque quid avellitur,
truncatur, interrumpitur, fraudis suspicio exoritur, quam
non admittet, quisquis sui judicij sententiæque coram di-
vino tribunali rationem sibi reddendam cogitabit. Ad me
igitur ut redeam, ego sane nunquam nisi in consilio, nun-
quam seorsim, de tota causa Bohemica sententiam dixi:
nunquam seorsim etiam extra consilium interrogatus fui.
Ad ipsum Herum meum hinc provoco. Nullus mihi major
veriorque testis esse potest, quam ipse. Neque opus est
nunc ad redarguendos calumniatores accuratiori expur-
gatione. Sufficeret, simplici inficiatione ipsorum auda-
ciam refringere. Onus probandi in se susceperunt; Illud
ferant, illi si succumbant, talionem expectent. Et tamen
progressus est in publicum terræ quidam filius, qui sine
rubore scripsit, me à Principe meo in fuga Pragensi (sic
enim Fabius quoque discessum nostrum ex Bohemia appel-
lat, & me illam Hero suasisse turpissime mentitur) stricto
gladio abactum; cum tamen mihi nunc vitio vertant, quod
in fide constans etiam in exilium Dominum secutus sum.
Non dicam nunc, etiam si apparerent quædam, quæ ad se-
quiores suspicionem fortè aliquem abripere possent, dif-
ficilimam tamen accusatoribus doli mali demonstratio-
nem fore, sine quo nulla est ex consilio obligatio. Verum
cum manifestas probationes nullas in promptu habeant,

undique cuncta conquirunt, ex quibus & nostram & ipsius Principis ambitionem arguant ac convincant. Sed plæraque illa omnia quam sunt inepta, ridicula? quorum sanè ipsos pudere debebat, nisi omni sensu destituerentur. Inter alia nescio quod monetæ genus Norimbergæ cusum producunt. Fabius me ejus authorem libenter faceret. In illo igitur Friderico Palatino etiam ipsum Imperium Romanum delatum fuisse garriunt. Nam hoc per malas artes nos ambivisse, ac magnis jam initijs ad illud vi incesta aspirasse, his omnino verbis Fabius putidissime mentitur. Egregium vero ejus rei documentum affert, cum in primario militari signo in Pragensi pugna capto has notas. **ET SI** trabalibus literis conspectas fuisse ait, an comminiscitur? Et quidem ænigma illud ipse Oedipus acutissimè dissolvit, *Est tempus sumendi Imperij.* Quod nos, si ingenio indulgere luberet, longè aliter varijs modis explicare possemus, Latine magis, & verè, quam ipse fecit. Sed profecto glacie fragiliora ista argumenta sunt. Nam numi augurales isti Norici neque mihi neque Hero meo in hunc diem visi, quamvis ego cupiditate quadam veri curiose in illos inquisiverim. Vexilla autem primaria alij alia recensent, & diversa in illis Emblemata. Si Fabius putat ex ejusmodi fictitijs numis aut vexillis acquiri Imperium, ipsemet Imperator esse facile posset, qui talia suaviter fingit. Verum ex ejusmodi nugis affectati Imperij criminationem instruere quovis supplicio dignum est. Illis tamen cum pascantur infruniti isti, nihil aliud lucrantur, quam ut à cordatis viris pro assensu & fide, quam non habent, detestationem & contemptum reportent.

Verum à nugis iterum ad seria. Sed illa quoque cum non minori, imo graviore falsitatis nexu colligata sint, majus

Can. Secr.
Anhalt.
pag. 25.

In litura
pag. 88.

jus etiam crimen habent. Aiunt, Bohemiæ Ordines meo
 consilio ad rebellionem impulsos; me ad Bohemos scripsis-
 se, ut publicis Comitibus Ferdinandum regio Magistratu
 abdicarent, Herum meum eligerent. Leniter, sed vere &
 confidenter dico, malitiose ex cerebro suo hæc fingere,
 quicumque talia de me dicunt aut scribunt. Quando enim
 aut ad quos Bohemos scripsi? In Anhaltina Monacensi
 Cancellaria nulla reperitur Epistola, nullum fragmentum,
 nullum verbum, quod ad ullum ex Bohemis unquam scri-
 pserim. Ex illo tamen libro omne probationis fundamen-
 tum accersitur. Et scripsisse me ad Bohemos, tam apertè
 affirmat effrænis Fabius. Si haberent Epistolas aliquas meas
 ad Bohemos à me eum in finem exaratas, jamdudum pro-
 duxissent in publicum. Ego vero nonnullas Bohemorum
 ad me literas ostendere possum, in quibus jam facta & per-
 acta nova Electione me enixissime rogarunt & obtestati
 sunt, persuaderem Hero meo, ut illam ratam haberet; &
 Ordinum desiderijs ne reluctaretur. Non fuisset ulla ra-
 tione opus ejusmodi ad me precibus, si jam ante ipse ultro
 Bohemos instigassem, ut quod fecerunt, facerent: Si prin-
 cipem sua sponte, ut illi volunt, Regni cupidum, diu ante
 impulsem ad illud acceptandum. Segmina illa literarum
 mearum quæ in prædicta Cancellaria inspersa materiam
 calumnijs dederunt, ad Bohemos non spectant. Inspice
 sodes. Cuncta etiam à me ita perscripta sunt, ut necessa-
 ria ex illis rei tantæ, quæ crimini mihi datur, sequela nulla
 citra manifestam veritatis læsionem, elici possit. Vellem
 auctorem integras epistolas meas edidisse, in quibus pro-
 cul dubio multa fuerunt inserta, quæ mentem & senten-
 tiam meam omni ex parte clarius & evidentius demon-
 strassent. Nunc ipsa hæc variatio, cum trunca tantum

In litura
pag. 125.
126.



membra proferunt, eaque in medio sæpe scriptionis filo subito pro libidine sua abrumpunt, & simul perniciose glossata sua interjiciunt, malam fidem adversariorum profecto arguunt, totamque causam suspectam reddunt. Non jam excipiam in aliquibus parum accurate, nec ex meo sensu, translata in Latinum Germanica, quod facile demonstrare possem. Plærunque aliorum dicta aut facta refero: sollicitudinem meam de futuris non dissimulo: libertatis conservandæ amorem & studium præ me fero. Non sum aruspex, sed haud scio annon quædam in illis prognostica animadvertere liceat, quæ non vana fuisse eventus ostendit. Nihil in illis tale, quo Bohemi inflammantur, ad quos nec debuerunt nec potuerunt pervenire istæ meæ literæ. Legatos Bohemorum Francofurtum admit- tendos & audiendos esse censui: Idem censuerunt, & forte acrius, ipsi Saxonici. Optavi jam tum, non fuisse missos protestandi causa; maluissem habuisse ipsos mandata de rei summa agendi. Quod si successisset, fieri fortassis sine ambagibus & temporis dispendio pax potuisset, nec in Oceanum malorum incidissemus, quorum finis nondum apparet. De mutatione vero Domini inijsse tum Bohemos cum socijs consilia, minime incognitum aut obscurum fuit. Nam de ea ordinarij cursores semper aliquid Francofurtum perferebant. Adeone ergo mirum, me quoque ejus rei mentionem forte injecisse, ad primum & fidissimum Principis mei Consiliarium? Hoc tamen ipse admodum dubie feci, & narrative tantum, non consultative; ut Interpretes Juris nostri loquuntur: etiam summam meam de toto negotio anxietatem animi deque Republica sollicitudinem multis modis demonstravi. Quæ sane fuisset omnino supervacua, si cum Bohemis jam ante, mea potissi-
mum

*Cancel.
secr. Anh.
p. 77.*

*In Canc.
secr. An-
halt. pag.
77. & seqq.*

mum opera, ut isti fingunt, transactum erat. Sed nullum
 prorsus talis impetus aut fervoris mei ullibi vestigium. Vbi
 igitur sunt consilia illa mea, quæ Fabius se vidisse, legisse,
 tam audacter mentitus fuit? Denique electionem Roma-
 norum Regis differri, donec pacata esset Bohemia, atque
 eo ipso firmata pax Germaniæ, omnes ex æquo sæcularium
 Electorum Legati ex singularibus mandatis urserunt. Cur
 igitur mihi potissimum hoc impedimentum adscribitur?
 Crimen vero majestatis commisisse, qui alium quam Fer-
 dinandum Cæsarem eligi maluit, nescio an dicere audeat,
 qui non crimen majestatis ex convulsione legum Imperij
 fundamentalium & aureæ Bullæ everfione, quæ liberri-
 mam Electionem sanciant, sibi velit longe verius objici.
 Nihil etiam in toto illo negotio à Legatis aut dictum aut
 factum, quod ipsis non mandatum fuerit ab ipsis Electo-
 ribus, Dominis ipsorum: ut ex farragine Monacensi cun-
 ctis est perspicuum. Mandatis igitur defendere cunctas
 actiones suas facillime possunt. Sed nolo in hac re per se
 alioquin scabrosa, esse prolixior, ne cogar secretiora pan-
 dere, quod nec necesse est in præsentia, nec huic scriptio-
 ni convenit. Vult me personatus Fabius adigere, ut quæ
 ille de fama & existimatione mea ex suo sensu excogitavit
 ac lusit, nulla autem solida probatione evicit, fatear ta-
 men, atque ita meipsum condemnem meo calculo. Fru-
 stra hoc agit. Mihi enim semper in mente & ante oculos
 illa oracula:

*Phalaris licet imperet, ut sis
 Falsus, & admoto dicter perjuriam tauro,
 Summum crede nefas animum præferre pudori,
 Et propter vitam vivendi perdere causam.*

Cru.

*Canc. secr.
 Anhalt.
 p. 78.*

Crudelis igitur in meipsum sim, iniquus in alios? Quæ adversarij demonstrare non possunt crimina, confessione mea prodam? Iisdem innocentes homines alios involvam? Hoc potius dico, & ita Iura statuunt, in negotijs Rempublicam spectantibus, in quibus officij ratio, Iurisiurandi necessitas & mandata Principum interveniunt, non palam auditos, non palam defensos, sed injustis præjudicijs temere gravatos, & calumniæ publicæ malevolorum livore objectos, eo ipso innocentia laudem mereri ac consequi, fortissima præsumptione apud omnes, quibus à turbidis affectibus mens est adhuc libera. Verum ad alia etiam seria, imo ad finem hujus meæ Apologiæ propero. Inter alia fraudis artificia hoc etiam non postremum est, quo usi sunt adversarij, ut me in odium Serenissimi Principis, Saxoniae Electoris, conjicerent. Sparserunt enim, me scripsisse ad nescio quem, hæc verba: Non possumus movere Saxeæ ista corda: Quid superest, nisi ut ipsos una cum Papistis opprimamus? Non est nova hæc contra me insignis falsitatis inventio, nec solius personati Fabij, sed vetus, ab alijs etiam originem duxit. Fabius tamen oleum igni addere studuit, cum Protocolium Heidelbergæ nuper repertum in scenam produxit, in quo Saxo Elector tam indigne vapulet, ut aures honestæ exsurdescant. Et quidem me tam indigna in illo protocollo scripsisse perfricta fronte os sine fræno affirmat: Scripsisse me, quæ nunquam cogitavi, nedum scripsi. Nam qualis privata & extranea illa, sub larva publici Protocolli, & cujus authoris scriptura sit, supra innuimus. Mihi illa nunquam ante visa, quam veteratoria calliditate in novam formam transmutata, ut ipsi authores fatentur, nuper admodum in publicum venisset. Tam crassa igitur mendacia, tam putidæ calumniæ toti orbi perspicuum faciunt, quid

In litura
Pag. 187.

Pag. 104.

quid de eiusmodi hominibus sentiendum, & quantum fidei cunctis famosis ipsorum chartis tribuendum sit. Quod vero ad veterem illam calumniam attinet, paucis veritatem rei oculis omnium subjiciam. Non certe memini, me talia unquam scripsisse. Hoc memini, talem omnino allusionem me legisse in Danielis Eremitæ Belgæ itinere Germanico, sive Epistola ad Camillum Guidium Equitem, scripta de legatione Coloredi, Oratoris Florentini ad Rodolphum II. Cæsarem & aliquot Germaniæ Principes. In illa igitur Eremitæ epistola, a Romanensi Religionis addicto viro scripta, leguntur talia. Qua vero ratione illam in me invidiam derivare quidam voluerint, narrabo paucis. Sex circiter anni sunt, ex quo vir Nobilissimus & optimus, Consiliarius quidam Cæsareus, Vienna ad me scripsit, rumorem ibi exortum, interceptam quandam meam Epistolam, in qua verba illa injecissem, eamque missam ad aulam Serenissimi Electoris, Ducis Saxoniae. Statim per amicos inquisivi, quid rei esset. Etiam cum aliquo tempore post Legatus Dresdam venissem, de hac cum uno atque altero ex primarijs Consiliarijs collocutus sum: sed vasrum figmentum totum drama illud fuisse, apparuit simul & evanuit. Illam tamen tam frigidam fabulam hodierni calumniatores renovant. Undique conquirunt tela, quæ in jugulum innocentis contorqueant. Verum hætenus nunquam in medium produxerunt illam Epistolam, ne quidem in Monacensi farragine. Fecissent dubio procul si potuissent. Cur Fabius tribulem illum nescio quem non nominat? Cur diem, locum, quando & ubi illa scripta, non exprimunt? Pudeat ipsos, si quid pudoris reliquum habent, tantæ malitiæ. Deus vero improbitatis vindex, in posterum quoque tuebitur pietatem & integritatem

e

tatem

*In litura
p. 255. &
alibi sa-
pius.*

*In Cancell.
Secr. An-
halt. p. 2.
pag. 7.*

tatem meam. Animadvertent tandem callidorum hominum mysteria vel suo damno, quorum bonitatem nunc circumveniunt, cum divortium inter Augustanæ Confessionis Proceres facientes inter ipsos mortifera dissidia ex ejusmodi falsis criminationibus serere conantur. Cunctis pariter machinantur perniciem. Nam hoc me egisse, ut destructione Pontificiorum solum extolleretur nostra religio, non invenisset apud plerosque fidem, nisi & horum metum irritassent frigidissimis illis inventiunculis. Meam vero semper & ubique sententiam fuisse, religionem ad securitatem nemini fraudi esse debere, sciunt omnes, qui me norunt, qui persecutionem omnem inter Christianos ex animo abominatus sum. Magno certe cum labore, cura & sollicitudine diu hoc una cum alijs egi, præsertim in Comitijs Imperij, & multis Unitorum conventibus, ut tandem æquæ compositionis honesta aliqua ratio inveniri iniri que posset, cujus rei testes multos etiam magnos viros ex Pontificijs laudare licet. Ipse quidem Monacensis scriptor rem tangit, cum Maximilianum Archiducem, laudatæ memoriæ, ad suscipiendum Interpositoris partes & officium fere persuasum à nobis fuisse non dissimulat. Non dubito, in negotio illo, in quo intervenit ipse etiam Cardinalis Cleselius, meam industriam & moderationem laudaturos cunctos, qui illi adfuerunt & adhuc sunt superstites. Sed animadvertant quæso boni, quam insigne mendacium Monacensis ille architectus rebus sincere gestis adglutinet: & ex illo ejus bonam fidem in cæteris quoque æstiment. Afferit enim illo loco, Anhaltinum Principem & me Oenipontum Legatos, à Maximiliano Archiduce cum indignatione dimissos fuisse, cum illi suboluisset, parum nos candide cum illo egisse. Deus bone, in quenquam
morta-



mortalium tantam cadere versutiam pariter & impudentiam! Nunquam ab Vnitis Legati Oenipontum missi fuerunt. Anhaltinus ad Archiducem venit semel atque iterum, partim ultro, partim invitatus. Ego bis Oeniponti fui, sed ferè ante annos xxx. cum ivi per illam urbem in Italiam & redij. Ex illo tempore Oenipontum non vidi, sed nec Archiducem Maximilianum amplius post Comitia Ratisbonensia. Idem igitur hic mihi, quod divino Pictori Apelli Ephesio olim accidit, cum is apud Ptolomæum Regem conjurationis, quæ Tyri authore Theodota facta fuerat, insimulatus est, cum tamen neque Tyrum, vidisset unquam, nec Theodotam novisset. Sic in plærisque contra me dictis imitantur adversarij Antiphilum. Nam alius etiam quidam in publico scripto asseverare ausus fuit, cum Pragæ in templo arcis Imagines remotæ sunt, hoc me præcipue impellente factum, & nescio quæ verba incommoda de Sanctis me tum usurpasse; cum tamen eo ipso tempore, quo Pragæ hoc factum, ego Norimbergæ & in itinere absens, omniumque rerum istarum penitus ignarus fuerim. Hoc enim innumeris testibus probare possum. Obiter autem attingere volui, ut solidè demonstrarem, quam indigne odio publico per calumnias obijciar. Totius vero istius de compositione tractatus, de quo antea meminimus, historia, si necessitas postulaverit, verè & integre aliquando edetur in publicum. Quæ autem in illo alijs mens, & quantum pacis desiderium fuerit, vel unicus turbulentus de famoso compositionis negotio libellus demonstrat, diu ante, sub egregio hoc & pacifico titulo publicatus, quam ulli exstitissent motus in Imperio. Possem hæc omnia latius deducere, sed illud non permittit succinctioris pro me scripturæ ratio & institutum.



Sufficiant ista pauca, sed vera, sed aperta & candida, ad defensionem meam, & larvæ mendaciorum Calumniatoribus detractæ insanos homines pudeat. Nam cætera minoris momenti, & in quibus refutandis nullum operæ præcium sit, scommata simul & convicia in me ubique pleno modio effusa æque curo, ac testudo muscas. Senecam amo, qui pulcerrime scribit, æquo animo audienda esse imperitorum convicia, & ad honesta vadenti contemnendum esse illum contemptum. Nec placet mihi expurgare Augiæ stabulum; quod me tamen in libro Germanico (Brevem & solidam Informationem contra Cancellariam Anhaltinam intelligit, opinor) fecisse scribit Fabius. Falso, ut cætera omnia. Nam istius scripti ego nequaquam author sum. Sunt etiam plures, qui varijs scriptis rursusparunt illas quisquilias: Quæ cuncta si mihi Fabius adscribit, quod facit, etiam cum ineptissimi cujusdam, nescio cujus discursus, inventionem mihi attribuit, næ ille egregie & fallit & fallitur. Non agnosco, quæ mea non sunt, quæ infra meam cognitionem & experientiam sunt, quam mediocrem me esse consecutum ex satis diuturno in Republica negotiorum usu spero. Nunc mihi sufficit, tam evidenter me falsas criminationes Fabij cæterorumque detexisse veritatis radio, ut in primis etiam illi, qui forte ignorantia circumstantiarum, quæ causæ fidem aut faciunt, aut minuunt, sequius judicarunt hæctenus, parte altera non audita, assensum suum in posterum suspensuri sint. Principes vero castigare calumniatores debebant, ne, ut est in veteri verbo, illos irritent. Glorietur quantum volet in suis victorijs, ut Pyrgopolinices quidam Fabius. Ego cum Aristippo victus abibo jucundius dormiturus, quam ipse victor.

Mens

In litura
pag. 256.

pag. 136.
137.

*Mens altum spirat honorem
Conscia factorum.*

Neque mihi animus cum larvis luctari iterum , aut Bacchæ bacchanti adversarier , ut feriat sæpius. Amicis urgentibus & famæ meæ semel satisfeci hac brevi, sed vera Apologia, simul etiam , uti spero, omnibus bonis cordatisque viris. Si ulterius me allatrare maledici volent, magno animo spernam, & filebo. Vindictam relinquam Deo Opt. Maximo. Nunc pio voto claudo hoc scriptum cum Regio Psalte: *Muta fiant labia dolosa, quæ loquuntur adversus justum.*

Sup. I sup orq. q1. nil. pag. bas. nuntio. I. undinno orq. s. nil. p. 24
inobit orq. de. nil. s. pag. andiffa. I. andiffa orq. d. nil. e. pag
antiorq orq. s. nil. p. 1. pag. ditrolopi ni non antiorq. I. antiorq. ni non
or. pag. u. C. I. C. orq. 7. I. pag. I. antiorq. orq. antiorq. I.
antiorq. I. antiorq. orq. d. nil

FINIS.


c 3

Errata



Errata sic corrige.

Pag. 4. lin. 2. pro omnibus l. omnis. ead. pag. lin. 19. pro qui l. que
pag. 9. lin. 6. pro effectibus l. affectibus. pag. 12. lin. 26. pro fructum
non insolentia l. fructum non in insolentia. pag. 14. lin. 2. pro gratiam
l. patriam. pro, gratia l. patria, ead. pag. lin. 17. pro C. l. Cn. pag. 19.
lin. 6. pro emissis l. omisissis.



Pa 4720 Ak

von

n. G.



197
117

Q.K. 238, 14.

LUDOVICI IOACH. F. IO
CAMERARI, IC. CONSIL
ARCHIPALATINI

APOLOG

*Contra Personati cuiusdam FA
CYNIANI IC. Et aliorum in
blice sparsas calumnias*



Anno clc lcc c xxiv

Q.K. 238.

